

1295 Juli 12.

[54]

Abtiffin und Konvent von Metelen für Kloster Langenhorst.

Nos Gertrudis Dei gracia abbatissa et conventus in Metelen omnibus hoc scriptum intuentibus notum facimus, quod in nostra constitutus presencia Elhardus dictus de Metelen, ministerialis ecclesie nostre, curtum, que dicitur Elhardhof, sitam in parrochia Wetringe, cum omnibus suis attinenciis, pratis, pascuis, piscariis, silvis, memoribus, agris cultis et incultis, hominibus ac universis et singulis ad eandem curtum pertinentibus pure vendidit . . . priorisse et conventui in Langenhorst pro sexaginta marcis Monasteriensis monete sibi numeratis integraliter et solutis, uxore sua Megthelde, filio suo Hermanno, filiabus suis Agatha et Sophia cum omnibus heredibus et coheredibus eorundem coram nobis similiter constitutis dicteque venditioni consentientibus voluntarie et expresse. Et quia dictus Elhardus predictam curtum cum suis attinenciis ab ecclesia nostra et a nobis in feodo tenuerat, recepta proprietate domus Thornengen, site in parrochia Degenenchem<sup>1)</sup>, vel reddituum ad valorem quadraginta marcarum ab eodem Elhardo et suis heredibus proprietatem pefate curtis Hagenhof ipsi Elhardo iusto permutationis titulo tradidimus simpliciter et absolute. Quo facto dictus Elhardus, uxor ipsius Megtheldis, Hermannus filius suus, Agatha et Sophia filie, ac heredes et coheredes eorundem omni iuri, quod in dictis bonis Hagenhof et suis attinenciis sibi competiit haetenus vel competere potuerit in futurum, renunciarunt publice coram nobis. Venditione igitur huiusmodi coram nobis primitus facta ac permutatione necnon et resignacione publice subsequuta idem Elhardus curtum supradictam cum omnibus suis attinenciis dicteque curtis proprietatem uxore, heredibus ac coheredibus universis ore et manu consentientibus in . . . priorissam et conventum in Langenhorst memoratos geminatis manibus et coniunctis una nobiscum transtulit sine condicione qualibet perpetuo possidendam. Promisit insuper idem Elhardus, quod, si quis forsan, quod

absit, sepedictam . . . priorissam eiusque conventum super jam dictis bonis impetere voluerit, plenam sibi warandiam prestare debebit. In cuius rei testimonium sigillis nostris presens pagina communitur. Acta sunt hec in vigilia beate Margarete virginis, anno Domini M<sup>CC</sup><sup>o</sup> nonagesimo quinto. Presentes fuerunt Lambertus plebanus in Metelen, Lutbertus plebanus in Ochtope, Hermannus plebanus in Welleberg, Hermannus decanus in Langenhorst, Conradus sacerdos; Hadwercus miles dictus Blome, Andreas famulus et alii quam plures.

Orig. 2 Siegel; T. III F. 20 P. 5 Nr. 16; hiernach mangelhaftes Regest (falsche Rauffumme und Datum!) bei Wilmans III, S. 787 Nr. 1508. — Kopie im Kopiar I S. 65/66; Muszua im Kopiar II fol. 27v